

gura respicit situm medii termini in ordine ad extrema, veluti an medius terminus subjiatur, an prædicetur. Et sanè quemadmodum Geometris figura non est, quæ terminis constat, sed quæ terminis undique clauditur: ita quoque figura Syllogismi, non constituitur una aliqua propositione, quæ quidem etiam constat duobus extremis; sed in super adsit necesse est medius terminus, qui in præmissis ritè cum utroque extremorum complicatus connectat ea ad irrefragabilem consequentiam. Et sicuti triangulum conficitur ex tribus lineis; parili ratione Syllogismus conficitur ex tribus propositionibus, tribusque terminis. Et denique sicuti in triangulo binæ lineæ clauduntur accedente tertiâ: ita in Syllogismo duæ propositiones clauduntur per tertiâ sc. conclusionem. Ob has & alias similitudines, translata est vox figuræ ad Logicos.

§. IV. *Monlorius 1. prior: cap. 4. in Schol: & cap. 26. Schol. 1. refert; Alexandrum definivisse Figuram, κοινωσίαν δύο προτάσεων κατὰ τὸν μέσον ὄρον.* Communionem duarum pronunciationum secundum medium terminum. Hinc rectè ab aliis figura Syllogismi dicitur esse nil aliud, quam certa medii termini cum extremis in ratione subjecti & prædicati dispositio. Tales figuræ tres posuit & confirmavit Aristoteles *1. prior. cap. 23.* quæ diversitas figurarum exinde oritur, quia nos non temerè ad ratiocinandum nosmet accingimus, nescientes quodnam ostensuri simus; sed antequam propositiones sumamus, propositum nobis est certum aliquod quæsitum (quod Græcis problema appellatur, & factâ ratiocinatione dicitur conclusio,) quod vel affirmare vel negare intendimus. Istud quæsitum duobus terminis constat, necesse est, subjecto sc. & prædicato. Subjectum quæsitum logici in Syllogismo directo dicitur minus extremum, prædicatum vero majus extremum: dum au-
tem